


Ba  
30 I

Akzepten hat armer Schreiber. 31. 5. 3. 9. 10.  
Ehriodat's *Utopia*. Cont. 4. Aufdruckt. g.





39

DISPUTATIO I.

Centuria tercia

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM

PHILOSOPHI-

CARVM,

In Indytâ VVittebergeni Academia  
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI  
LOGICES PROFESS.

Publ.

RESPONDENTE

BVRCHARDO PEINÆO

Alfeldiâ-Saxone.

Id 12. Sept. horū à 6. matutinis in Auditorio Collegii veteris.

VVITTEBERGÆ,

Excusa per Iohannem Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellwigii Bibliop. Anno 1607.



NOBILI STEMMATE  
Slendidissimo,  
ANTIQVA VIRTUTE  
Præstantissimo,  
AVGVSTA AVTORITATE  
Eminentissimo

VIR O:  
**Wüllbrandt von Stockheim:**  
Hæreditario in Limmer &c.  
Domino & Mæcenati meo:

VIR O item  
DIGNITATIS REVERENDÆ,  
DOCTRINÆ EXIMIÆ

Dn. M. ZACHARIÆ OSSEN COP,  
Mystæ ibidem vigilantissimo, Affini meo frater-  
nè colendo:

BVRCHARDVS PEINE  
hunc ingeniali mei fœtum

In observantia indicinam,  
Amoris tessera m,  
D. D.



## QVÆSTIO I.

### Quot modis opponantur Enunciationes?



Væstionem † sic consulto informamus, ne forte cui  
piam videamur heic species agnoscere, quas agno-  
vère Simplicius, Boetius & alii, citante Suarezio  
disput. 45. Metaph. sect. 1. Divisio quippe opposi-  
tionis conformari nequit, ut sit generis in species;  
fuerit saltem analogi in sua analogata. Thomas  
Aquinas opusc. 48. cap. 8.

Duplicis † verò familiæ est oppositio: Vnam sibi vendicant  
res simplices, quæ sunt contrariae, relatae, privantes & contradicen-  
tes (quibus tamen Aristot. lib. 4. Met. c. 16. adjungit etiam dispa-  
rata); quam modò Hypothœriis illibatam relinquimus; Alteram con-  
stituunt Enunciationes.

Quærum † vero hæ? Eamus edissertatum. Cernimus enim,  
cum talis oppositio sit duarum propositionum pugna in affirmando &  
negando, quæm varia hæc pugna su, variantes quosdam pugnare, non  
quidem pugna capitali, attamen tali, ut in diversas eos abire senten-  
tias experiamur: quas nunc recensere, & trutini veritatis, quæ ani-  
ma nostræ pabulum, ponderare curæ atque operæ erit.

Quam † opellam dum aggredimur, non inutile fuerit nobis ob  
oculos ponere, quænam requisita legitimam oppositionem constituensia  
ponant Primates Logicæ. Ponunt autem hec quatuor. 1. Oppositio  
habeat τὸ ἀντὸ sine ambiguitate intellectum. 2. Fiat νατὰ τὸ ἀντὸ.  
3. Fiat τῷς τὸ ἀντὸ. 4. Fiat εὐ τῷ ἀντῷ χρόνῳ. Arist. lib. de inter-  
pret. c. 6. lib. 1. Elench. cap. 4. & 2. Elench. c. 12. Ceterum hæc in  
utraq; oppositione, ut superiuscule devisa, necessaria sunt. De nostra pro-  
inde coacervatim sic habe:

In oppositione † Enunciationis sive Dispositionis, ut vocant, due  
propositiones ex iisdem subjectis & predicatis eodem ordine & numero  
positis de eadem re sine ambiguitate intellectis secundum adfirmatio-

nem & negationem repugnant. Reg. lib. 3. Log. pag. 74. Iam ad propositum.

6. Quotuplex tamen igitur haec pugna? Noveris, si causam ejus noveris: scire enim est nosse causam 10. post. c. 2. & 2. poster. c. 11. Sit a vero haec est in diversa propositionum quantitate & qualitate.

7. Vnde tamen gemina forma ad verae oppositionis constitutionem conquiritur: altera a signo expresse posita; altera a qualitate essentiali, id est, affirmatione & negatione. Quae tamen postrema potissimum attenditur. Hinc tale resultat axioma: Opposito, quae geminata illa formâ vestita est, vera & legitima habenda.

8. Applicemus tamen hoc tribus istis oppositionum generibus, quae Fonseca, Philippus, Hospinianus, & alii constituunt: contradictoriis nempe, contrariis & subcontrariis. Contradictoria si expendantur nemini potest esse dubium, quin utraque formâ sint induita. Si ambigis, eni habes quantitatem: Contradictoria oppositio constat propositione universalis & particulari; Eni qualitatem: quarum una affirmit, altera negat, additis simul addendis. Ratum ergo, firmum & immotum esto: Contradictoria esse verè opposita. Accedimus contraria: quae & ipsa penitus inspecta de utraq. forma participare conspiciuntur: siquidem & signa habent expressè collocata, & una propositionum alia quid affirmat, altera negat. Interim tamen nolumus dissimilare, ista haec in priore forma non nihil deficere dum ipsum signa non secundum quantitatem sed qualitatem tantum opponuntur. Idem esto judicium de Subcontrariis.

9. Heic tamen ergo rectè efficitur ex aphorismo primo hujus, Oppositionem non esse genus univocum, quod aequè differt omnibus. Deprehendimus enim eam secundum prius & primario dici de contradictione; de reliquis autem secundum posterius. Species tamen analogicas libenter eas dixerim.

10. Sed tamen inquis: Ubinam gentium propositiones subalternæ? exularenè has jubes? Enge vero Di tutelares erunt, Petrus Hispanus, Doctores Colonenses, Johannes Casus, & qui sub horum sacramento militant hoc clypeo: Omnes propositiones ejusdem subjecti & prædicati, quarum una verum ait, altera falsum, sunt opposita. Atqui subalterna propositiones sunt tales, verbi gratia, Omnis homo est doctus. Quidam homo est doctus. Nam si haec vera est, illa falsa erit. Ergo sunt opposita. Quemadmodum igitur pugna solius quantitatis

titatis in duabus universalibus constituit contrariam; in duabus particulibus subcontrariam; pugna deniq; quantitatis & qualitatis simul contradictoriā: ita etiam pugna solius quantitatis subalternam efficit oppositionem.

Verum t̄ clypeo non satis firmo militant. Veritas enim & falsitas ejusdem subjecti & prædicati non simpliciter faciunt oppositionem, nisi cetera quoque adsint requisita, alioquin & utrumque etiam possent esse oppositæ. Et probationis omnino indigebat, oppositionem in sola quantitate verum oppositionis genus constituere, quale nos cum Aristotele in lib. de Interpret. requirimus, rationem potissimum habentes affirmationis & negationis. Adde quod non semper posita subalternā verā universalis sit falsa: utraque enim vera esse potest, & quidem non propter oppositionem, sed consecutionem. Recte enim infertur: Omnis homo est animal: Ergo quidam homo, & hic homo est animal.

Alii t̄ pro Indefinitis & singularibus sub vexillo Crellii 12. dimicant hoc scuto: Quotuplex est oppositionis forma, triplex erit Opposito. At quintuplex ejus forma. Ergo quintuplex oppositio. Consequentiam majoris probant: non enim hec, quippe in parte communi, materia propositionum spectatur; sed nuda tantum forma. Minor patet: quia alia est forma in universalibus, alia in particularibus, alia in indefinitis, alia deniq; in singularibus. Indefinitas igitur & singulares contrariis, subcontrariis & contradictoriis anumerare decebit.

Sed t̄ facile & hoc debellamus. Crellius enim falso innititur 13. fundamento, cum dicit nullam rationem materiæ hæc haberi. Nam quamvis non primariò attendatur hoc loco materia enunciationum, sic cut in parte Logices propria, secundariò tamen.

Proinde t̄ referimus, ne nesciū sis, Indefinitas quidem propositions ad contrarias in materia impossibili, ad subcontrarias in reliquo materiis. Singulares vero ad contradictionem.

Heic vero difficultas. Quæris quomodo duplex illa forma, 15. quam contradictioni induebamus, propositionibus singularibus adaptari queat? Respondeo: Potissima contradictionis vis in eo consistit, ut quod una propositio planè & immediate ait, altera neget. Hæc vis etiam in singularibus existit, quantumvis analogicè. Nam licet signis destituantur: termini tamen illi singulares ita sunt affecti, ut ab-

ter in antecedente simpliciter quid ponat, alteri in consequente simpliciter quid auferatur. Propter hanc igitur analogiam ad contradicentes revocantur.

16. Nec t̄ est quod quis obtendat, hoc etiam indefinitis posse attribui. Quanquam enim in quibusdam indefinitis hec accidat, ut altera simpliciter sit vera, altera falsa: non tamen in omnibus: siquidem in materia contingentia utraq; vera esse potest; id quod exhorrent contradictionia.

17. Sic t̄ ergo Triga illa oppositionis sarta tecta nobis adhuc supersit quam ampliter rotar tantum abest ut concedamus ut si uāt ἀντίσεγον eam formare, & novitatem forsan (omne enim novum hominibus est pro magnifico: Cornelius Tacitus) cum aliquibus arripere remalis illam in Bigam potius commutari patiamur. Præsertim cum ipse Philosoph. 2. Prior. c. 15. fateatur, eam quam vulgo vocant oppositionem subcontrariam, non esse oppositionem κατ' ἀλλθεαν sed κατὰ λέξιν, Quem secutus Keckermannus in system. Log. pag. 361. Certo est, inquit, oppositionem hanc veram non esse, cum desit prima conditionis (quam supra notabamus) quæ requirit τὸ & Τὸ, quia subjectum heic est diversum & vagum: sunt enim diversi homines, de quibus dicitur, Quidam homo est albus; Quidam non est albus. Nihilominus per vagata logicorum sententia observari poterit, & defensionem aliquam parere potest tum quod Subcontrariæ aliquo modo de duplice forma oppositionis participent, tum eiiam quod in vulgari divisione propositionis alia propositio universalis, alia particularis constituitur, Reg. lib. 3. Log. pag. 84.

## QVÆSTIO II.

An contradic̄tio admittat medium?

Ex t̄ premissa constat quæstione: Contradictionem in triclinio oppositorio primas obrinere; jure proinde queritur, an ergo illa ranta sit ut ne admittat medium; an vero admittat.

2. Ne t̄ autem heic ambiguitas quempiam decipere possit: error: si quidem ad finis ambiguitas est Scal. 148. sect. 4. Imò sine distinctione vocis ambiguae velle ad rei considerationem venire, est velle tempus perdere, Galen. lib. 1. de Meth. c. 5. Idcirco prælibandum est Medium dari quintuplex: Primum est Medium subiecti, quod est terminus vel res simplex, cui nullum membrorum oppositorum competit, seu quæ in neutrum extreborum cadit; indigitatur etiam à Logicis Medium nega-

negationis extremorum. Alterum appellatur Medium participationis extremorum, quod nimirum qualitas obtinet aliquid, & aliquid item de altero suorum extremorum; Vocatur à quibusdam Medium formæ & medium ejusdem generis: quia semper est in eodem predicamento cum suis extremis. Tertium est medium loci seu positionis: ab Arist. s. Phys. c. 3. dicitur metonymi & definitur in quod res, que secundum naturam continentur meventur, prius provenit quam ad extrema: si enim omnis motus ex termino à quo per certum medium ad terminum ad quem. Quartum Medium dicitur perfectionis seu proportionis inter excessum & defectum. Quintum denique Medium dicitur affectionis, ut sunt omnia media quae vocamus tendentia aut ducentia ad finem, si re destinata.

In t̄ praesentia primum & secundum medium attendiuntur. Sed & 3. hoc animadvertisendum hec tam simplicium quam complexorum terminorum contradictionem posse intelligi.

Vtrumlibet t̄ medium cum utralibet contradictione sumas; neutrum in neutra admittimus. Neutrū: Non primum: cum nihil sit in hac rerum universitate, quod non cadat in alterutrum membrum entis aut non entis, hominis & non-hominis, lapidis & non-lapidis. Nec secundum: siquidem altera contradictionis pars est simpliciter non-ens; de non-ente autem non datur participatio, cum sit extra genus. Porro in neutra. Non in prima. Quia inter ens & non-ens non datur medium ens. Enti autem, ut inquit Scal. ex. 65. sect. 2. contrarium est non-ens per contradictionem. Et profecto nihil hostile magis enti, quam non-ens. Scalig. exerc. 11. sect. 1. Quod vero idem plurimorum stipendiiorum miles. Scaliger alibi: Esse, inquit, in potentia, est medium inter esse & πλως & non esse & πλως. Quid item Philosophus 1. Phys. dicit: materia prima est medium inter esse & non esse. Illud sic explicamus: Materia prima est medium inter non esse simpliciter & inter esse in actu formalī, seu inter non Ens simpliciter, & Ens simpliciter. Est enim substantia imperfecta, seu est substantia inchoamentum, ne Zabarella loquitur, est ens potentia constituta, quod suam habet essentiam, non est corporis species, Vide Scal. ex. 290. l. 1. ex. 75. l. 4. Ens, inquit, in potentia non est pure non ens. Iam non esse simpliciter & in actu formalī non sunt contradictionia. Beda in axiom. Phil. pag. 111. E materia prima non est medium quoddā inter contradictionē opposita. E. contradictionia est απερος. Id quod vel hinc etiā patet: nam ex necessitate

quaer. f.



queque res aut ipsa, aut non ipsa. Si enim simul sit ipsa, & non ipsa, tum non esset una ens, id est id ipsum quod est, non esset; quod est adiutorum. Neque potest simul neutrum esse, id est, neque ipsa, neque non ipsa, cum inter esse & non esse, inter unum & non unum, non sit medium, quare nec utrumque falsum esse potest. Goclen. in prodr. Lex. Philos. pag. 396. Deinde nec in complexorum terminorum contradictione medium datur. Quia inter affirmationem & negationem non datur medium. Ergo nec inter verum & falsum: siquidem prater verum, non est affirmatio vel negatio. lib. 2. de Interpret. quia verum habet se in propositione, sicut forma. Beda pag. 165. Ad verum & falsum contradictoria esse asserit Scaliger exerc. 307. sect. 9. Quanquam Thomas Aquinas part. 1. q. 17. art. 9. veritatem & falsitatem contrariè opponi statuat: Quorum nos mutuamur conciliationem ex Gregorio de Valent. concedendum, inquit, esse aliquam oppositionem contrariam, que sola ratione distinguuntur à contradictione: possunt enim contraria & contradictionia opposita in eundem conceptum materialiter concurrere. Confer hac de re, Goclen. in contr. Log. pag. 310.

### QVÆSTIO III.

#### ¶ An unum sit substantia per se subsistens?

1. Platoniarum & sententiarum personatores, cum numeros rerum facerent principia, eorumq; principiorum principium unitatem: eò prolapsi sunt, ut etiam ipsum unum prius esse ipso ente profiterentur, uti testatur Scalig. exerc. 65. sect. 2. Hinc veluti somniabant ideas per se subsistentes praeter singularia: ita & ipsum unum substantiam aliquam per se subsistentem esse contendebant. Versor lib. 10. Metaph. q. 2. p. 177.

2. Quid & cum? Audies argutantes sic: 1. Omne quod est per participationem, reducitur ad aliquid, quod est per essentiam. Sed unum reperitur participatum in multis. Ergo est aliquid unum per essentiam. Ergo est substantia aliqua per se subsistens. 2. Vnum prædatur secundum substantiam, 3. & 4. Metaphys. Ergo non est actus accidens alteri naturæ. E. est substantia.

Quid



Quid t̄ vero nos? Non hoc loco præmittemus: unum quod est 3.  
principium numeri, di versum esse ab uno, quod sine disjunctione cum en-  
te recurrit seu reciprocatur. Versor lib. 4. Metaph. pag. 185. de quo  
posteriori quæsumus erat. Dicemus ad rem ipsam. Ut enim poma in Iu-  
dea non poma nascuntur, que contacta in fumum abeunt & vaporem:  
ita argutiolæ adductæ facile dissipantur. Respondemus: Ad 1. Illud  
quod est per essentiam non est ejusdem generis vel speciei cum eo, quod  
est per participationem, ut sibi persuadebant Platonici: sed tale quod  
est per essentiam, est tantum unum primum ens, quod est extra omne  
genus. Falsa igitur hypothesis. Ad 2. Vox substantia capitur bifariam:  
primum enim denotat suppositum τόδετι, sive individuum; secundò  
τὸτι ὅντειν. Hac sumpta significatione libenter annuimus, unum  
quod cum ente reciprocatur, secundum substantiam prædicari, nec ali-  
quam naturam superadditam illi, de quo prædicatur, significare, quem-  
admodum accidens est natura aliqua præter subjectum. Ceterum pri-  
ore significatu accepto ἀπαιδεύτως omnino statuitur, quod unum sit  
substantia per se subsistens, idque sic planum facimus: Nullum uni-  
versale ὑπάρχον seu subsistentiam per se ac separatum habet. Si enim  
hoc: non amplius esset commune multis sed singulare. Atqui unum  
est universale. Quippini? Est enim prædicatum multis commune,  
quantumvis ἀνάλογον. Ergo unam ὑπάρχον seu subsistentiam per se  
ac separatum non habet: sicuti nec Ens. Nam ens & unum idem ac una  
natura sunt, uti dicebamus. Idem unus homo & ens homo & homo  
ut subtiliter differit Philosophus lib. 4. Met. cap. 2.

## QUÆSTIO IV.

### An unum sit divisibile quatenus unum?

Omne t̄ unum est indivisibile: ait Aristoteles 10. Metaph. 1.  
Et 3. Phys. t. 68. probaturus numerum deorsum non vergere in infini-  
tum, eò quod ex unitatibus componatur: prorato acceptat: Vnum esse  
indivisible.

Miraberis t̄ ergo dubio procul, quod idem Philosophus 4.  
Metaph. text. 4. discrimen statuit haut obscurum inter unum pri-  
vatione & negatione partium: quorum hoc dicitur, quod divisio-  
nis tam quoad potentiam quam quoad actum expersus est; illud vero

B

quod



quod quidem actu in partes non est divisum: divisionem tamen subire potest. Ex dictorum collatione videtur repugnans exsiliere.

3. Quid ergo dicendum? An Philosophum contradictionis arguemus? Neutquam. Dicemus hoc: Omne unum est indivisible (cum reduplicatione) quatenus unum. Beda in axiom. pag. 140. Et hoc: Unum est divisibile. Intellige unum quantitatis. Divisibile vero id, quâ continuum: quia partes termino communis copulatas habet. Et continuum esse divisibile, & quidem in infinitum, multis probatum dat, Pererius lib. 10. Phys. cap. 13. Quin & hoc dicemus: Vnum est indivisible. Intellige unum, quod est numeri principium. Indivisible vero id sub ratione discreti. Nimurum caret partibus discretis, & positionem non habentibus, in quas dividiri possit. Toleatus lib. 3. Phys. c. 8.q.5.

4. Heic + autem præliandum nobis erit. Nam Bernhardus Salignacus Burdegalensis lib. 1. Arith. cap. 2. pag. 6. legens vestigia Rami lib. 17. schol. Math. pag. 243. contendit unitatem illam Arithmeticam esse numerum, adeoque indivisibilem, his potiss. armis instructus. 1. Unitas est quantitas Mathematica discreta. Ast hec est numerus. Ergo & illa, & per consequens divisibilis. 2. Cujus pars aliqua tam tenuis dari nequit, quin tenuior dari queat: illud est divisibile. Atque unitatis adeo tenuis pars dari nequit, quin detur tenuior. Ergo unitas est divisibilis. 3. Quod aliquo altero majoris est: illud magnum sit necesse est, & ex consequenti quantum siue quantitas. At unitas major est duabus tertis & tribus quartis. Ergo est magna & quanta. Ergo etiam divisibilis.

5. Respondemus + Ad 1. negando unitatem esse quantitatem discretam. Deducimus enim ad absurdum. Sic argumentor: Omnis quantitas discreta est multitudo. Unitas est quantitas discreta. Ergo unitas est multitudo. Ergo unitas non est unitas. Mira me hercule Metamorphosis. Absurdissima conclusio. Impossibile namque ut unum oppositorum in alterius naturam transmigreret. Ergo ex præmissis una. Non major: quippe quæ communi Philosophorum calculo comprobata. Ergo minor absurda: quæ erat fundamentum Salignaci.

6. Inquis +: Nihil omponitur è suo contrario. Multitudo componitur ex unitaribus. Ergo unum non est contrarium multitudini vera contrarietate. Ex Scaligero exerc. 63. sect. 2. Tu vero disim-

gue

gue inter materiale & formale. Vnum potest considerari duplicitate.  
Primò ut habet propriam formam seu rationem distinctam à quacunq;  
alia forma, hoc est, formaliter. Secundo ut potest esse pars alterius  
& includi in altero, hoc est materialiter. Vnum primo modo sumi  
tum contrarie opponitur multitudini. Sic namq; habet rationem for-  
malem seu definitionem differentem à multitudinis. Proba hoc: Ra-  
tio formalis unius est esse Ens indivisibile: quod tamdiu teneo, donec  
contrarium probetur; Multitudinis autem est esse Ens divisibile.  
Constat autem divisibile & indivisibile opponi. Hacenus igitur uni-  
tas & multitudo sunt opposita: Hacenus item locuta est nostra ar-  
gumentatio. Proinde quod unum materialiter sumtum non oppona-  
tur multitudini, ad nos nihil, cum nos de uno formaliter considerato  
sermonem feramus. Ad 2. distinguendo inter unitatem, quā talis,  
& totum: hujus dantur partes, non illius. Totius ergo pars tenuior  
usque & usque dari potest, at non unius, quā tale, cum non habeat  
partes. Ad 3. iterum distinguendo inter unum formaliter conside-  
ratum, & unum quatenus totum divisible denotat (Divisibile, in-  
quam, non indivisum: nam totum indivisum unum est; divisible  
vero multum. Arist. lib. 1. Metaph. cap. 3.) Vnum priore modo  
acceptum neque majus neque minus sumit, sed hoc à Toto præstatur,  
quod unius materialis est. Quare totum dicitur esse majus duabus  
tertiis vel tribus quartis non unum. Illud enim; non hoc: est majus  
qualibet sua parte.

Sic itaque prioribus adverso partis argumentis interemis, 7.  
confirmatione nostræ supersedemus, presertim cum contraria redar-  
gutione contrarie rationes demonstrentur, ut ait Aristot. lib. 1. Eth.  
Eudem. cap. 3. & lib. 7 Nicom. cap. 2. & lib. 1. Metaph. cap. 11.  
& libr. 1. de cœlo cap. 10. Quocirca concludimus unitatem non  
esse numerum sed ejus principium & architectam, cum Eucl. 5. Elem.  
Aristot. lib. 6. Top. cap. 4. & 4. Phys. tex. 105. & 108. & 8. Me-  
taph. 2. & Damasceno cap. 49. Dial. inquiente: μόνοι δέ  
τοστόθες ἀλλ' αὐτὸς ποστόθετος: nam per unitatem  
constituitur numerus. Aristot. 3. Phys.  
text. 68. & 10. Met. 3.

## QVÆSTIO V.

### An virtus angelica in naturam inducere possit vacuum?

1. Vacuum t̄ est ēk τῶν τοῦ Max̄os Αεγούεν, uti videre licet apud Piccolom. de rer. defin. pag. 360. Nos relictis acceptationibus cateris, accipimus illud pro spatio sive intervallō, in quo nullum omnino est corpus, sive illud sit sensibile, sive insensibile, adeoque ne aēr quidem..
2. Tali t̄ vero in Naturæ subselliis nullum relinquī locum, Naturæ rimatores & miratores dilucidant alias. Nam omne quod est, ab alio suo essendi causam mutuatur, præter unum ac solum necessarium ens (quia d̄ se est) Deum. Scal. ex. 61. sect. 5. Qui causa est sine causa, ens sine ente. Idem exerc. 359. sect. 2. Atqui vacuum à nullo E. non est.
3. An t̄ tamen ei locus aliquis in rerum natura sterni queat, sive id fiat divinā, sive angelica virtute, iudicēt disceptare consueverunt. Nobis priori questionis membro nunc seposito, posterius considerare placet.
4. Quod t̄ igitur Angeli in pulcherrimum Naturæ Theatrum monstrum illud, vacuum puta, non possint invehere, afferit Colleg. Co nimbr. lib. 4. Phys. c. 9. q. 3. cuius sententiam approbantes ita confirmamus: Excedit Angelicam potestatem Naturæ ordinem inverttere. Unaquaque enim res non aliter agit, quam eo modo, quo potest convenienter ei ordini, quem Deus in universo esse voluit. Thom. Aquin. in quæst. 16. de Malo, quæ est de Dæmonibus, artic. 9. Atqui in Naturæ theatrum invehere vacuum, est contra ordinem cursusq. totius naturæ corporeæ. Deus enim cum sit omnia & præter omnia suis ipse plenus, non vult dari in suis operibus vacuum, quia in se nullum habet: ipse enim verum est ens, vacuum autem non ens: ut colligimus ex Scal. ex. 5. sect. 1. Ergo superat potestatem angelicam producere vacuum II. In Naturæ scenam producere vacuum, est miraculum efficere. At miraculum propria virtute solus Deus edit, non angelii. Ergo nec vacuum producere possunt. Adde, si angeli vacuum efficere possent, illud naturaliter dari posset; id quod communi Philosophorum sententiae refragatur.

Caterum



Cæterū t̄ reperiuntur qui circa hanc quæstionem emundius 3.  
philosophari se autument, si pro duplice ipsius sensu, quem ponunt, dis-  
tinctè ad illam respondeant. Primò sic eam intelligunt, ut queratur:  
An virtus Angelica resistentia illà, quā verbi gratia, Aer vacuo re-  
sistit, potentior sit, ita, ut eam præcise, quantum ex se est, non habi-  
ta ratione aliarum circumstantiarum, superare valeat. & sic vacuum  
efficere. Deinde in hunc modum quæstionem informant: Num ha-  
bito etiam respectu decreti, quo Deus constituit sibi soli reservare jus  
& facultatem immutandi naturæ cursum & ordinem hujus universi-  
tatis, sit potestatis Angelice, producere vacuum.

Qua t̄ discriminatione factâ secundum priorem sensum affir- 6.  
mantem quæstionis partem amplexantur existimantes resistentiam il-  
lam, quā Aer vacuo resistit, ab Angelica virtute superari posse; secun-  
dum posteriorem verò: negativam. Quorum mentem, ne tibi plenius  
dicam, videris Colleg. Conimbr. loco subantea citato.

Quibus t̄ etiam calculum suum addere videtur Fr. Suarez di- 7.  
sput. 35. lect. 6. quando inquit: Angelus non potest facere, ut detur  
vacuum, quia licet possit removere unum corpus à suo loco, non potest  
tamen simul impedire, ne aliud illi succedat, non ex defectu intrinse-  
cæ virtutis absolute consideratæ, sed quia non potest subesse legibus  
Creatoris.

Quæ t̄ quidem sententia fortassis commodior atq; utilior est ad 8.  
occultarum rerum adipiscendam cognitionem, quam tubos aquarum  
eductores pingere: quorum naturam nemo non è populo notam habet,  
ut loquitur Scal. exerc. 5. sect. 1. Veruntamen quid juvat nodum  
in scirpo querere? Etenim resistentia, qua res per se vacuo repugnant,  
non cadit sub aliquam mensuram certam, ita ut à majori virtute fini-  
ta vinci queat; sed est ejusmodi, ut à virtute quidem infinita superari  
possit: non tamen ab ulla minori. Id quod in multis aliis cernere li-  
cet, ut in resistentia, qua cælum repugnat divisioni; & in vacuo ignis  
ita exiguis, ut in partes, qua maneant, secari nequeat. Quemadmo-  
dum rigitur partes cœli & illius minimi ignis ita sibi in vicem adhære-  
scunt, ut nulla visu ita divelli possint: ita existimandum est ad glus-  
tinari partes universi tanto nexo ut inter se vacuum non admittant.  
DD. Conimbr. loco dicto artic. 2. Et hoc vel ideo in primis, quia  
nullum est genus rerum quod aut a vulsum à ceteris per se ipsum con-  
sisteat, aut quo cetera, si careant, vim suam atq; eternitatem conser-  
vare

vare possint, ut ait Crassus etud M. Tullium 3. de Oratore. Ne ergo suavissima & valde necessaria ista rerum coherentia interturberetur, Natura summo conatu probhet, etiam nonnunquam de ingenio suo nonnihil remittens, gravibus saepe sursum ascendentibus, levibus deorsum inclinantibus, & ita elementis extra suum ubi spatiari gravibus, ne gravire universi jaclura spatium illud à terram obsto occuperur. Scalig, exerc. II. sect. I.

## QVÆSTIO VI.

### Ancorpus moveri possit in vacuo?

1. Assertum † hoc est à D.D. Conimbr. libr. 4. Phys. cap. 9. quæst. 4. Quid enim, inquit, impedit Angelum, quo minus in vacuo jaculum intorquerre possit? Quid ignem, (si tota sublunaris mundi plaga vacua esset, & in ejus medio ignis à Deo crearetur & conservaretur) quo minus in naturalem suum locum per inane ascenderet incitatus: cum à levitate sibi ingenita, tum vel maxime à communi inclinatione jungendis corporibus cœlestibus, unde conservatrix vis in inferiorem mundum derivatur?

2. Verum † non videntur satisfacere tum rationi tum Aristoteli, quem veritatis principem vocat Scaliger. Annon enim omne mobile naturaliter movetur ad suum spaciū? Scal. ex. 9. Qui motus aut est à centro, aut ad centrum, aut circa centrum. Idem de causis Lat. ling. c. 73. Ast in vacuo, utpote uniformi, & undiquaque sibi simili nihil ita moveri potest, cum nec sursum nec deorsum, nec ad dextram, nec ad sinistram, nec antiorum, nec retrorsum moveatur. Arist. 4. Phys. cap. 8. text. 69. Adhæc omnis motus est continuus, ut Aristoteles ait, 3. Phys. text. 1. & multis verbis ostendit in 6. lib. Phys. quare & divisibilis, & prouinde successivè fit & in tempore, tum etiam quia si motus est abusentis in potentia, prout in potentia, necesse est quod movetur, moveri successivè atque in tempore. Pererius lib. II. Phys. cap. 10. Ast in vacuo non posset fieri motus in tempore, uti confirmat Aristot. 4. Phys. Consideremus insuper, num superficies corporis continentis in vacuo esse possit? Nulla profecto, cum tamen ea necessario ad motum localem requiratur, unde etiam locus per illam definitur.

definitur. Addimus: Si motus localis fieret in vacuo, fieret ille vel in tempore vel in instanti. At nemo nostrum affe verabit motum fieri in instanti, cum motus in tempore fiat successivè, ut antea dictum, quippe qui divisibilis: Instans a uenit indivisibile. Scal. exerc. 299. l. 2. Successio autem motus proveniat ex resistantia, qualis in vacuo non est.

Sentiamus t̄ ergo cum sapientibus sapienter, ut monet nos Iulius 3.  
Scaliger exerc. 3.

## QVÆSTIO VII.

### Mors quid sit?

Mors t̄ quasi saxum Tantalo semper impendet, Cic. de fin. 1.  
omnibus à Natura proposita Philip. 4. non modò nobis sustinenda, sed  
vel in primis præponderanda: namq; hæc

sola fatetur

Quantula sint hominum corpuscula, Juvenal. Satyr. 10.

Hinc Platonis sententia est, omnem sapientum vitam meditationem esse mortis: debemus & nos igitur premeditari, quod aliquando futuri sumus: & quod velimus nolimus, abesse longius non potest, inquit Hieron. in Epist ad Heliod.

Extrahamus t̄ ergo & nos unam illam, ut vocat Poeta, in puto 2.  
corporum nostrorum demersam situâ mentis nostræ, & quid Mors sit indagemus. Hoc vero non melius facturi sumus, quam si vita causam si-  
stamus. Contrariorum enim contrarie sunt causa. Arist. lib. 5. polit.  
c. 8. At mors vita contraria. Quæ etiam causa fuit ut antiqui mortuos  
pedibus primis efferrent. Plinius lib. 7. natur. hist. cap. 8. Nemirum hominem capite pr. mo in lucem edi experti fuerant Andr. Laurent. lib.  
8. Anal. quæst. 19. Sic uero vita causa est calor: ita mortis causa  
est innati caloris defectus seu frigus.

Vnde t̄ definitio talis: Mors est defectus vel extinctio caloris na- 3.  
tivi. Galenus 2. de temper. Vel: privatio vita disjunctio animæ à  
corpo: quam à sapientibus auditione accepisse se dicit Scaliger ex.  
307. sect. 33. Quia cum coincidit illa Platonis in Gorgia: Mors est  
solutio animæ & corporis. Et Ciceronis 1. Tuscul. Mors est decessus  
animæ à corpore. Utram istarum definitionum malueris, elige, vel certe  
hinc: Mors est omnium animæ suunctionum cessatio propter compositi  
dissolutionem. Scal. exerc. 307.

Copia-



4. *Copiosorem + descriptionem si expetis, en accipe hanc Secundi Philosophi, qui cum ab Adriano Imperatore interrogaretur, quid esset mors? Respondit: Dissolutio corporum, divitium pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vite, vi vorum discessio, resolutio omnium.*  
Laert.
5. *Dubitas nunc forte an Mors sit malum? Ita quidem videtur. Aristoteles certe lib. 3. Eth. cap. 6. Mors, inquit, maximè omnium rerum est horribilis. Quod etiam inculcat lib. 2. Rhetor. Timet enim homo malum, nempe dissolutionem. Quia omnia esse appetunt. Aut forte aliquid appetet exuere hominis formam nobilissimam, ut fætulenti cadaveris formam induat? Nugæ sunt hæc, inscitiae joboles, alumnae pertinacie, atque supinitatis. Scal. exerc. 17. Nam esse alterum esse ab hoc esse, adeò nescimus: ut quotidianis vel suspicionibus, vel persuasionibus res etiamnum sit controversa: sola fide res agatur, Scal. exerc. 307. sect. 33.*
6. *Annon igitur malum illud à finibus nostris arceri potest? querat aliquis. Respondet Seneca de remed. fortuit. Morieris: stultum est timere, quod vitare non possis. Morieris: vita nostra peregrinatio est, cum diu ambulaveris, domum rediendum est. Morieris: Hac conditio intravi, ut exirem.*
7. *Alchimicæ + quidem artis Professores affirmant, per aurum liquatum & aptum habilem, ad potandum: ac per eam, quam quintam substantiam vocant, posse arceri senectutem.*
8. *Medici + itidem præstantissima sua arte mirum quantum præstare valeant. Quorum aliquibus non difficile videri possit, excogitare remedia, quibus humidum iunatum & naturalis calor, quæ vita fundamenta sunt, conservetur; quemadmodum & contra venena lethifera tot amuleta inventa fuere. Nam, inquit, si demortua corpora, quæ facile exstingunt, & in putredinem abeunt, aromatum condimentis quam diutissimè integræ servantur, cur non etiam viventia, artis naturæq; remediis ab interitu defendi possint?*
9. *Verum + enim vero, quicquid tandem dicatur, bona quidem dicta vel etiam usu medicamentorum vita non nihil prolongari potest; at nulla cura humana artis ve beneficio sive homo sive aliud vivens à necessitate moriendi in perpetuum vindicari potest. Coll. Conimbr. lib. 2. de gener. & corr. c. 10. q. 1. art. 3. Adeò verum est illud Horatii Oda 28. lib. 1.*  
Onne

Omnis una manet nocte:  
Et calcanda semel via lethi.

Quod cum certissimum sit, nunquam non cogitemus illud Sene-  
cæ lib. 3. epist. 261. Incertum est, quo loco mors te expectat; tu vero  
eam in omni loco expecta.

## QVÆSTIO VIII.

An virtus moralis sit posita in medio?

In + quæstione superiori secunda quintuplex annotavimus mediu-  
m, & sic etiam medium perfectionis seu proportionis inter excessum &  
defectum. Quod an virtutis formam constituat, spinosas apud quosdā  
reperias disceptationes. Nam alii in actione laudabili; alii in ele-  
ctione animi; ali in proportione medii eam colloca vēre.

Sed + recisâ omni contentione, tenendum est in medio virtutem 2.  
consistere, in medio, in quam, rationis quam dicitur, in medio affectio-  
nis, quam supprimit, in medio vitiositatis, quam tollit & extinguit.  
Casus in spec. mor. lib. 2 cap. 6. Neque vero solum est in medo;  
sed ipsum etiam est medium, medium, inquam, non dialecticus, sed εἰεῖος,  
sed tale, quod crebris actionibus sit comparatum. In medio est, ut re-  
spicit objecta; medium vero est ut respicit extrema. Vnde Horat. lib.  
1. epist. Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

Quam + assertionem ita corroboramus. 1. A minori: Omnes 3.  
artes medium seu scopum intuentur. Nam v. g. in arte pictoria sum-  
ma laus est, quando proportio lineamentorum observatur, ut nihil super-  
fit, nihil deficit. Ergo multo magis virtus, qua est pictura animi, propor-  
tionem actionum observat. Virtus enim omni arte exquisitor & me-  
lior, quemadmodum & natura. Aristot. 2. Eth. cap. 6. II. A causa  
virtutis: Virtus enim constat ex actione. At omnis actio est quiddam  
continuum: siquidem adjunctum habet tempus. At tempus continuum  
est divisibile. Quatenus ergo est in tempore, eatenus etiam divisionem  
admitrit. Eustrat. 2. Ethic. cap. 6. In omni autem divisibili plus  
& minus locum habet: in quibus optimum est medium obtinere. Arist.  
2. Eudem. 3. III. A generali virtutum officio: Illæ enim ad in-  
tegritatem pristinam nos conformari debent, & affectus temperare.

C

Exinde



Exinde virtutes, affectus temperatos recta ratione appellat, Scalig.  
exerc. 339. sect. 1. At qui in his excessus & defectus reperiuntur, Ari-  
stot. 2. Ethic. cap. 9. IV. A testimonio Pythagoreorum, qui ma-  
lum infinitum sed unum bonum quasi centrum posuerunt, à quo ut sa-  
cile est discedere, quia multis modis peccatur: ita admodum difficile  
est idem attingere, quia virius in punctum quasi contrahitur: ut ergo  
scientis est invenire centrum, ita sapientis est tenere medium. Causus  
loco citato.

4. Caterum + Ludovicus Vives lib. de causis corrupt. art.  
dicit Aristotelem meritò esse reprehensum à Laurentio Valla proptero-  
ea quod virtutem statuerit esse positam inter duo extrema, ita ut cum  
utroq; extremo pugnet.
5. Sed + argumenta, quae addit Ludov. Vives tam sunt levia, ut  
dubitare quis possit jocone, an serio tantus autor hanc controversiam  
Aristoteli moverit.
6. Quocirca + nos videamus potius ea, que speciosè nobis objici  
possunt: non enim usq; adeò exakte mediocritas illa in unaquaq; virtute  
perspicitur: quod inductione exemplorum probari solet. I. Iustitia non  
in medio duorum vitiorum est collocata: sed soli opponitur iniquitas.  
II. Iras Dei, turpidinem, dedecus, infamiam metuere, virtutis  
est sed virtutis, cui defectus quidem dari potest, sed excessus assignari  
nequit. Sic in dilectione seu amore Dei deficere possumus, excedere  
nunquam. Idem accidit in veracitate, cui in defectu mendacium ad-  
versatur; in excessu vitium occurrit omnino nullum. III. Virginitas  
non est moderatio sed evulsio concupiscentia. E. non est μεσότης. IV.  
Magnanimitas non ad mediocres sed ad maximos honores & Magnifi-  
centia non ad medios res sed magnas expensas tendit. E. non sunt μεσό-  
τητες. V. Virtus Heroica, culmen & fastigium moralium virtutum non  
observat mediocritatem, cùm homines supra humanā conditionem elevet.  
7. Pro + dilutione exemplorum horum sequentia notanda censimus.  
1. Virtus in medio est: vel quoad essentiam, quia est habitus inter  
duo vicia contraria; vel quoad objectum, quia id in quod rendit rati-  
oni consentaneum est. Coll. Conimbr. disput. Ethic. 7. quæst. 2.  
2. Excessus & defectus colligi debent secundum gradus. Nam fieri po-  
test, ut vitium quod unum est, varium habeat respectum, li et unum  
tantummodo esse videatur: & sic, ut idem vitium in alio gradu exce-  
dat, alio deficiat. Vitium enim interdum appellatione unum est, sed  
actione

actione & modo omnino diversum. 3. Cum omnis virtus moralis sit collocata in medio, non similiter cunctis ejus partibus medium respondet: virtus enim potest in medio esse posita, vel considerando latitudinem perturbationis; vel inspiciendo duo extrema vitia; vel perpendendo circumstantias; vel considerando consimilitudinem rationum. Piccol. grad. 4. Phil. mor. cap. 6. Neque enim medium virtutis consistit in quodam indivisibili, ut puncto: est namque medii quodam latitudo, intra quam continentur sese bene agere dicuntur. Gocl. in Eth. quæst. 64. 4: Non est de essentia virtutis ut constet excessus & defectus: nec ob id dicitur mediocritas sive medium, quod necessario ponatur inter excessum & defectum; sed virtus habet formam suam in mediocritate, quam ab illis vitiis utrinque excedentibus non habet: sequeretur enim sic, essentiam virtutis esse à vitiis, quod absurdum.

Hence † præmissis respondemus Ad primum: 1. Vitium est appellatione unum, sed actione & modo omnino diversum. 2. Imo datur defectus iustitiae, ejusdemque excessus in agente, quia viriosus est, ut defraudatio vel impunitas & rigiditas. 3. Iustitia in medio est posita quia est moderatio proprie perturbationis. 4. Iustitia in medio est constituta, non quoad essentiam, sed quoad objectum, ut statuunt DD. Coimbr. Ad secundum: 1. Iram Dei, ignominiam, &c. metuere, non est ipsa virius, sed actio virtutis. 2. Excessus non est virtutis excessus sed viii, proindeq; non in virtute sed circa eandem patratur. Quamvis igitur in diligendo Deum non possimus exceedere modum, in quantum actio ista ex virtute promanat; tamen circa dilectionem modus excedi potest. 2. Et certè dilectio media est inter excessum, qui supersticio; & defectum, qui impietas vocatur. De veritate idem fermè judicandum, modo addatur discriminis inter veritatem & veritatem. Ad tertium: 1. Homonymia est in voce Evulsionis, quæ intelligitur vel de radicali ablatione affectus, vel de pravorum motuum inhibitione. 2. Si non est μετέρθης: μεσότης amens. Ad quartum: Magnanimitas & Magnificentia versantur in magnis ratione objecti; At non ratione circumstantiarum. Ad quintum: 1. Alia est elevatio supra humanam naturam: alia extra humanam naturam: hæc contraria est mediocritati; non illa. 2. In affectibus datur mediocritas. Sed & Heroica est circa affectus. Ergo quoniam excellenter est in illis, excellens quoq; ejus erit mediocritas. 3. Referatur huic notatio nostra generalis quarta.

## QVÆSTIO IX.

### An virtus moralis sit in appetitu sensuum?

1. Hacten jam amplius in campis spatiamur Elysii, ubi vel non sentientibus nectar in guttur instilletur, & habitus virtutum infundantur: sed ex actionum crebritate, aut ex paucis bene validis creantur.
2. Scalig. ex. 307. sect. 4. Quodnam & verò habitum istorum recepti aculum sit, scire modo anhelas! Sed sciendum ante, virtutes duplices esse generis, intellectuales & morales, utrasq; suarum certarum esse sedum. De intellectualibus non videtur prægnans oboriri posse dubitatio, quin
3. illæ in intellectu confideant. Verum & quanam moralium sedes sit controversum valde. Scotus sent. 3. d. 33. collocavit eas in mente pariter & voluntate. Alii nonnulli voluntatem iis assignant. Piccolominius denique Philosophus non ultimi commatis asseveranter statuit virtutes morales consistere in appetitu sensitivo: grad. 4. Phil. mor. 4. cap. 7. & seqq. Hujus & nos sententia suffragamur, quia ratio suffragatur. 1. Forma sine materia esse nequit. Scal. exerc. 307. sect. 27. Ergo ubi materia virtutis, ibi & forma: ubi forma, ibi ipsa virtus. At materia virtutis est in appetitu sensitivo. Sed quæ virtutis materia? Non dicemus de perturbationibus aut affectibus, cum sint objectum, & illud tantum particilare. Piccol grad. 2. Phil. mor. Dicimus esse aliquid in actione, quod à mente agente excitatur & excutitur, ut tandem in habitum convertatur. At hoc sine dubio est in appetitu, ut poste cui ob id dice Delio opus est. Aggere sublato, quod inquit Virgil. 2. Aeneid.

rapidas montano flumine torrens  
Sternit agros, sternit sata leta, boumque labores,  
Præcipitesque trahit sylvas, camposque per omnes  
Cum stabulis armenta rapit.

Illud igitur quod subest actioni in appetitu ita disponitur, aureo Palladis freno ita agitatur & compescitur, ut tandem vera & severa admittat appetitus, exindeque sibi habitum comparet, qui moralis nuncupatur. E. virtus moralis ei inest. II. Ad idem subjectum pertinent virtutes & vitia, ad quod naturales mores, qui sunt vices, semina & ignis eorum. At hi ad sentiendi facultatem pertinent. Ergo. III. Idem comprobab

comprobat consideratio cause & rationis, ob quam morali virtute indigemus. Nam si homo esset solus, hoc est, si mens ejus esset sejuncta a sensibus, non egeret virtutem morali, sicut ea non egerit intelligentia a corpore soluta ex sententia Aristotelis: sed quia sumus juncti cum corpore & cum appetitu sensuum, per quem ad illecebras reddimur prouis, propterea domari, rectoque habitu conformari in nobis debet pars sentiens & fera, ne quasi indomitus equus nos ducat precipites. Inquis: + 5.  
electionem & libertatem inesse voluntati. Ergo & ipsam virtutem.  
Respondeo: Electio nihil aliud est quam consultativa appetitio. ex.  
3. Ethic. cap. 4. Electio igitur est actionis principium, unde est motus, sed non cuius causa, electionis vero est appetitus & ratio causa, quae alicuius causa est. Aristot. 6. Eth. c. 2. Vnde neq; sine intellectu & cogitatione, neque sine morali habitu electio est. Aristot ibid. Atq; ita cum prudentia jungitur; quod sine prudentia & virtute electio recta esse non possit. 6. Ethic. cap. 13. Electio igitur non soli voluntati ascribenda. Sic nec libertas tantum in voluntate residet, sed & in intellectu: imo potius in hoc quam in ista. Nam libertas tribuenda potius facultati formaliter cognoscendi, quam ei quae formaliter non cognoscit. At qui intellectus formaliter cognoscit: at voluntas non, sed quatenus intellectum includit. Quare cum Neotericorum istorum 6. dicentium virtutes morales sedere in voluntate, tam confirmantur fundamento: ipsorum esca nobis non est vesca, qui novis ipsis delitiis non sumus assueti.

## QVÆSTIO X.

An Princeps præsidio armatus esse debeat?

Tribus + ait Scal. ex. 2; 6. hominem armavit Natura præsidio. I.  
Ingenio ad inventionem necessariorum: Sermone ad auxilium:  
Manibus ad perfecti nem omnium eorum, quae vel ingenio excogitas-  
set, vel sermone ab aliis didicisset.

Cum + his nihil jam nobis est commercii. Quis enim adeo Mida 2.  
aut Marsyas judicio prædictus, qui natara lia isthac Principi deneget?  
cui tamen vel maxime conueniunt, eoq; magis, quo ceteris superior est  
hominibus: ita ut sit instar Herculis Gallici qui & clavam habeat

¶ catenulas dureas à lingua dependentes: hoc est, qui rerum momentis  
urgere, verborum puritate, si opus sit, aures delinire, subditos sopitos  
quasi virga Mercurii excitare valeat: cui merito acclamari possit: Tu  
Meote vales, juncta eit facundis gratia dictis.

Cum his, inquam, praesidiis hoc loco nihil rei nobis est; sed praesi-  
dium propriè sic dictum, satellitum, ¶ id genus munimenta alia, si  
nescius es, intelligimus.

3. De t hujusmodi namque nonnulli persuasum sibi habent: usu ma-  
gis, quam sapienti consilio receptum esse, ut adhibeantur, quod eo ipso  
metum tacite quasi indicare videatur Princeps Ludovv. Vives præf.  
satell ad Mar. Angl. siquidem inexpugnabile munimentum, amor  
civium. Quid pulchritus est, quam vivere optantibus cunctis? quis  
hunc audeat struere aliquod periculum, sub quo justitia, pax, securi-  
tas, dignitas floret? sub quo opulenta civitas, copia bonorum os-  
mnum abundat? Seneca de clementia ad Neronem. Proinde sa-  
pienter dixisse fertur Agasicles, Rex Lacedæmoniorum: posse quem-  
vis principem ¶ regem sine satellitio regnare: qui sic subditis impera-  
ret, ut filii pater. Plut. in apoph. Nec non Alfonius: qui  
cum reprehenderetur ab aulicis suis, quod regiae majestatis oblitus, sis-  
ne satellitibus ¶ satrapis prodiret in publicum: non opus est, inquiet-  
bat, ut ipse multum sibi timeat, qui neminem habet, quem ita laeserit,  
ut aliorum etiam manus sit defendendus. Panorm. lib. 2. de Alphon-  
si reb. gestis. Unde Thomas Pontanus non minus scitè quam fre-  
quenter illud in ore habebat: amorem quidem inermem incedere; dor-  
mire autem loricatum. Iac. Spieg in secundum Æneæ Sylvii lib.  
de reb. gest. Alphonsi. Nec inscitè Plato, cum videret Dionysium  
Tyrannum corporis sui custodibus septum, quid tantum, inquit, ma-  
lum fecisti, ut à multis ita custodiaris?

4. Ut et verò enumerata isthæc se habeant: quod tamen Prin-  
ceps praesidio armatus esse debeat, tam facile probatu est, quam vulpes,  
ut ait Comicus, comest pyrum. Id enim merito ¶ utiliter adhibet. i.  
Ad regimen. Amplum est ¶ illustre munus, Princeps quod sustinet.  
Divinitas est hæc dignitas, ut rectè dicebat I. Lips. in præf. Polit. in-  
primis si salubriter atque ex usu publico administretur. Difficile ta-  
men interim ¶ valde arduum. Varia subditorum capita sunt, quæ se-  
pe non sine potentia ¶ vi sub unum commune quoddam obedientie jugū  
possunt reduci. Quod si solvatur, difficilius regentur, quam equisola-  
res apud Ouid. lib. 2. Metam. qui

Expa-



Expatiantur equi , nulloque inhibente per auras  
Ignotæ regionis eunt, quāq; impetus egit,  
Hac sine lege ruunt.

Ea propter non solum Principatu regali & Politico, sed etiam  
despotico in improbos Regem ut oportet, quis violenter refrenari neces-  
se Savanor. Epit. Eth. concl. 30. II. Ad tutamen tum sui ipsius  
cum regni. Nam quia altius oceano secessit navis, tantum in quo-  
rem habet Aelum. Et regnum est quasi turris quedam excelsa, in qua  
opes infinitæ reclusæ jacent, ad hanc expugnandam certatum ambi-  
si & seditioni veniunt: hujus custodem omni arte, fraude, malitiaque  
tentant. Casus lib. 3. Sphær. civ. 11.

Quamobrem + laudamus illam Sigismundi sententiam, eamq; 5.  
preferendam omnino judicamus Alberti Austriæ ducis ( qui in ortu  
Sigismundo Cæsare cuius erat gener, regnum Hungariae ac Bohemiae  
cum Romano Imperio suscepit): cum enim Hic diceret, Principes amo-  
re ciuiorum cautos esse aportere; respondebat Ille: Et fida custodia  
infortunium excludit. Aene. Sylv. comment. de  
reb. gest. Alphonsi.

Finis disputationis prime.









# FarbKarte #13

B.I.G.

